

EMBLEMA XC VII.

Voluptas moderanda.

XC VII.

Nocet infrenata voluptas.

Vah! quàm cæca placet, nimium violenta voluptas,
 Vel morte in media deliciosa iuvat.

Quæ facit infestum crudelis bellua Nilum,
 En homini insidias peruigil vsque struit;
 Nullaque sunt certæ propiora pericula mortis,
 Quam cum depositâ veste natantur aquæ:
 Bèstia tunc nudos spernit secura lacertos,
 Tuncque exarmatas despicit illa manus.

Et natitare tamen, tam certâ morte, voluptas
 Cogit, & est placito dulce perire malo,
 O cæca, atque gravis capitis dementia stulti,
 Cui minus est vndis quam caruisse, mori.